Nowicki Christoph. Adalb. Falsitas duarum propositionum demonstrata.

# FALSITAS
## DUARUM PROPOSITIONUM
## DEMONSTRATA

*Per*

R. CHRISTOPHORUM ADALBERTUM NOWINSKI, Ecclesiæ Collegiatæ B. M. V. Canonicum Posnaniensem in Bozęcinek Parochum.

*ANNO*

*Quô veritas de terra orta est*

*1756.*



*Cum permissu Superiorum.*

CRACOVIÆ,
Typis in Palatio Episcopali, Factore Dominicô Rosenmüller.

# DEO VERO,

Veríque

# DEI FILIO VERO,

Et Veritatis

# SPIRITUI.

Uni Veræ & Individuæ

# TRINITATI.

## LAUS HONOR,

Et

## GLORIA.

*Ab*

**Indignissima Creatura**

**A. O.**

*A M E N.*

# PIO LECTORI.

## S. P.

A*Nſam ad duarum ſequentium Propoſitionum falſitatem demonſtrandam dedit mihi quidam conventus incircumſpectorum, ubi nonnulli, alioqui non poſtremæ conſiderationis viri coram variis utriuſque ſtatûs perſonis diverſos miſcentes diſcurſus, duas, quas illicò refutavi, acerrimè propugnaverunt ſententias. Contrarias, ac ſi Omnipotentiæ, & miſericordiæ Divinæ derogativas, ac Fidei Catholicæ diſſonas, adeoq; hæreticas criminari ſui erroris tenaces non erubuerunt. Quare juſtis motus rationibus, utpote veritatis orthodoxæ aſſertor fidelis, parum cenſui, eos verbô convincere, ſed inſuper luce publica mentis eorum tenebras diſcutiendas, & velamen oculorum auferendum operæ pretium duxi. Neque ſæculares, ac rudiores Theologorum malè ſentientium ratiocinationibus perſvaſi, ex communi natura humana ad mala propenſi, ſpe finiendæ, aut relaxandæ gehennæ æternæ in ſenſum reprobum abeant, & cæcutientes duces cæcos ad barathrum uſque ſequantur. Præſtante eo, qui eſt via, veritas, & vita.*

*Amice Lector vale, & meliora ſape.*

# PRIMA PROPOSITIO.

D*EUS potest de Inferno liberare, & immediatè ad Cœlum deducere animas damnatorum, uti fecit cum anima Trajani ad preces D. Gregorii. Immò potest, si vellet destruere Infernum, & omnes animas salvare, quia est absolutus Dominus, & nemo potest ejus opera reprehendere, aliàs non esset Omnipotens, & misericors, cùm tamen misericordia ejus super omnia opera ejus.*

Contra est *1mò*. Hæc propositio est Origenis docentis finem pænarum infernalium, ab Ecclesia damnata. Hieron. Ep. 65. ad Pammachium. Adeoque hæretica.

Contra est *2dò*. DEUS juxta sua divina decreta pro peccatis mortalibus statuit pænas infinitas, interminabiles, æternas. Math. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, &c.* Marci 9. Isaiæ 66. *Vermis eorum non moritur, & ignis non extingvit.* 2. Tessal. 1. *Qui pænas dabunt in interitu æternas.* Devt. 32. *Ignis succensus à furore meo, & ardebit usq; ad inferni novissima.* Eccl. 21. *Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Psal. 112. *Desiderium peccatorum peribit.* Psal. 47. *Sicut oves in inferno positi mors deposcet eos.* Hæc mors est æterna. Di-

citur autem inferni ſtatus mors æterna: *Diſcretivè*, ut differat à morte temporaria, quapropter errarunt, qui olim docuerunt inferos in hac vita explicari, quos refutat S. Aug. l. 12. de Gent. ad lit. c. 33. ſecundò, *Spiritualiter*, quia deſtituti vita ſpirituali gratiæ, tum gloriæ, adeoque nunquam terminanda. Apoc. 9. *quærent mortem & non invenient eam* Cùm ex inferno nulla ſit redemptio, Pſal. 48. Sap. 3. Daniel. 12. quam epulo non impetravit. De hac morte, ſive pænis æternis diſſerit S. Greg. l. 4. Dialog.. *Anima illic poſita benè eſſe perdidit, & eſſe non perdidit. Ex qua ſemper cogitur, & ut mortem ſinè morte, & defectum ſinè defectu, & finem ſinè fine patiatur, quatenus ei & mors immortalis ſit, & defectus indeficiens, & finis infinitus.* S. Bernardus l. meditat. c. 3. *Procul à beata Paradiſi Patria exulati cruciabuntur in gehenna perpetua, nunquam lucem viſuri, nunquam refrigerium adepturi, ſed per millia millium annorum in inferno cruciandi, nec inde unquam liberandi, ubi nec qui torquet, aliquando moritur.* Poſitis igitur his & plurimis aliis in S. Scriptura decretis divinis, DEUS per abſolutam ſuam potentiam non poteſt ex ſuppoſitione conſequente, & pro præſenti providentia

de

de pænis inferni ampliùs liberare, & ſalvare damnatos, quia plurimæ involverentur imperfectiones in DEum, quæ derogarent, & tollerent ſummam ejus perfectionem, infinitam bonitatem & juſtitiam ejus, quod eſt ipſe DEus. Sequeretur namq; quòd DEus poſſet eſſe fallax, injuſtus, & mutabilis, fallax in ſuis promiſſis, injuſtus & mutabilis in ſuis decretis, vel maximè, cùm ſit abſolutus Dominus, & non eſt, qui reprehendat opera ejus. Quod de DEO vel cogitare ſumma foret, & damnabilis impietas! Nam DEUS eſt verax, fidelis, juſtus, & immutabilis in ſuis decretis. *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.* Matth. 24. Marc. 13. Lucæ 21. *Itèm Faciliùs eſt cœlum & terram præterire, quàm unum apicem de Lege cadere.* Itèm Num. 23. *Non eſt DEus quasì homo, ut mentiatur, aut ùt filius hominis, ut mutetur.* Itèm Malach. 3. *Ego Dominus & non mutor.* Paraph. Chald. ſic habet: quoniam ego Dominus, & non mutavi pactum meum. In quem locum Iſid. ſic habet: *Sicut enim promiſſio mea irrita eſſe non poteſt, ità nec minarum obliviſcar.* Itèm Pſal. 32. *Conſilium Domini in æternum manet. Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbra-*

*tio*

*tio* Jac. 1. Pſal. 118. Vates enarrat juſtitiam Divinam: *Juſtus es Domine & rectum judicium tuum*, id eſt: & conſequenter rectum, ac juſtum judicium, decretum, mandatum tuum. Nam in hoc Pſalmo per *judicium* ferè ſemper ipſa lex intelligitur, quanquam & illud verum eſt: judicium DEI, quô diſtribuit pænas, & præmia ſemper eſſe juſtum, juxta Bellarm: in loc. cit. id eſt vindicando mala, & præmiando bona. At ſicut DEUS eſt infinitus, offenſa quoq; omnino eſt infinita, ſi culpa infinita, pæna quoq; neceſſariò debet eſſe infinita. *Tunc infinitum patens inferni barathrum devorat, quos inanis elatio nunc exaltat* S. Gregorius l. 9. moral. Neque tamen ſequitur ( ùt vult oppoſita ſeña ) quòd DEus propter tam rigoroſam ſuam juſtitiam, & damnationem impiorum interminabilem, immutabilem, irrevocabilem, æternam, deſinat eſſe Omnipotens, & miſericors. Nam ipſe quidem DEus de ſe dicit: *Ego ſum Dominus Omnipotens.* Gen. 17. Et rurſus cùm Jacob filios ad Joſeph mitteret, ità illis precatus eſt: *DEus autem meus omnipotens faciat eum vobis placabilem.* Gen. 43. Deinde verò in Apoc. c. 1. ſcriptum eſt: *Dominus DEus, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt omnipotens.* Et

alibi

alibi: *DEus magnus Omnipotens* appellatur. Huc pertinet, quod dicitur Luc. 1. *Non erit impoſſibile omne verbum*. Num. 11. *Nunquid manus Domini invalida eſt* ? & Sap. 12. *Subeſt tibi, cùm volueris, poſſe*, & alia ejuſdem generis. Ex quibus variis dicendi formis id percipitur, quod unô Omnipotentis verbô comprehendi perſpicuum eſt. Intelligimus autem hoc nomine, nihil eſſe, nihil animô & cogitatione fingi poſſe, quod DEus efficere nequeat. Etenim non ſolùm hæc, quæ tametſi maxima ſunt, aliquô tamen modô in cogitationem noſtram cadunt, efficiendi poteſtatem habet, nimirùm, ut omnia in nihilum recidant, atque, ut plures mundi ex nihilo repente exiſtant, verùm etiam multò majora in illius Poteſtate ſita ſunt, quæ humanæ menti & intelligentiæ ſuſpicari non licet. Neque verò, licèt omnia DEus poſſit, mentiri tamen aut fallere, aut falli, aut peccare, aut interire, aut ignorare aliquid poteſt. Hæc enim in eam naturam cadunt, cujus imperfecta actio eſt: DEus verò cujus perfectiſſima ſemper eſt actio, ideo hoc non poſſe dicitur, quia poſſe ea infirmitatis eſt, non ſummæ & infinitæ omnium poteſtatis, quam ille habet. Ità igitur DEum omni-

mnipotentem esse credimus, ut ab eo tamen longè omnia abesse cogitemus, quæ perfectæ ejus essentiæ maximè conjuncta, & convenientia non sunt v. Cath. Rom. part. 1. de 1. Symb. art. c. 2. Bellarm. scribens in illa Psalm. 61. ver. ult. verba - - *Quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia, quia tu reddes unicuique juxta opera sua.* Pulchrè exponit convenientiam potentiarum, sive attributorum Divinorum, ubi nec Omnipotentia excludit misericordiam, nec misericordia justitiam. *Ità ut neque DEus oppressurus sit aliquos per potentiam, neque misericordia præjudicatura sit justitiæ.* Appositè scribit S. Greg. l. 9. moral. *Quisquis ad toleranda inferni mala descendit, nequaquam ad lucem ulteriùs redibit; quia nequaquam ultrà misericordia parcentis liberat, quos semel in locis pœnalibus justitia judicantis damnat.* Et S. Aug. serm. 28. ad Fratres in Erem. *In inferno nulla est redemptio, quoniam ibi gemitus sunt & suspiria, & non est, qui misereatur, ibi est dolor & planctus, & clamor, & non est, qui exaudiat.* Ergo &c.

Contra est 3*tiò*. Si vera esset propositio adversa, fieret incerta impiorum damnatio, & sanè S. Aug. l. 21. de Civit. DEI c. 24. nimiæ præsumptio-

ptio-

ptionis eſſe dicit, aſſerere, eos non manſuros perpetuò in igne, quibus veritas dicit: *Ite in ignem æternum.* Matt. 25. Dicit autem hoc Veritas omnibus, quos damnat, tam in particulari, quàm in univerſali judicio. Præterea nullus eſſet damnatorum, qui non poſſet ſperare ſalutem, & pro quo non poſſemus orare, nunc autem non oramus pro damnatis, quia ſecundùm fidem credimus eos non poſſe ſalvari; at ſi poſſint ſaltim ex privilegio ſalvari, certè pro illis orandum eſſet; ſicut in hoc mundo oramus pro obſtinatis in malo, ut Deus illis det gratiam efficacem, quæ certè non datur, nisì ex privilegio. Sequitur ergò adverſam propoſitionem contra fidem eſſe. Quæ non poteſt comprobari exemplô Trajani, qui precibûs & meritîs S. Greg. contenditur eſſe liberatus de pænis inferni, & immediatè ad cœlum tranſiiſſe, quia hæc Hiſtoria pugnat contra Scripturam. Tum quia Trajanus tanquam paganus ſinè fide & baptiſmo, nullatenus potuit ſalvari, aliàs falleret illud Salvatoris effatum. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Marc. 16. Et: *ſinè fide impoſſibile placere Deo.* Hæb. 11. Quadrat hìc ſeq. hiſtoria:

quidam olim petens Tiberium, ut carcere exiret, hoc responsum accepit, nondum mecum in gratiam rediisti. Idem suô modô dictum esto Trajano perpetuo carceri incluso. At quomodò redire potuit in gratiam sinè charitate, sed quomodò potuit habere charitatem (quæ est virtus Theologica, & maxima) in inferno, ubi DEus amatur nunquam, & odiô habetur semper? Allegatam historiam Joannis Damasceni in orat. de mort. de Trajano confectam refutat Card. Bellarm. in suis disput. tom. 2. controv. 3. l. 2. c. 8. *Si hæc historia defendi debeat, oporteret dicere Trajanum non fuisse absolutè damnatum ad inferos, sed solùm punitum in inferno secundùm præsentia ejus demerita & suspensam sententiam propter prævisas B. Greg. preces, & præterea non immediatè ex inferno ad cœlum transiisse, sed priùs corpori unitum, & tunc baptizatum, & pœnitentiam in hac vita egisse. Ità est communis solutio B. Thomæ, Durandi, Richardi, & aliorum in 4. dist. 45. Quia tamen Trajanum resurrexisse sinè teste dicitur, nec enim ullus veterum hujus rei meminit, & repugnat hoc sententiæ Damasceni, qui satìs apertè docet de inferno ad cœlum transiisse, non autem ad hanc vitam rediisse Trajanum, & si pœnitentiam egit, in inferno illam*

*egis-*

*egisse. Cùm tamen solius Damasceni authoritate nitantur Authores citati, ideo magis propendeo in sententiam Melchioris Cani, qui l. 11. de locis c. 2. simpliciter improbat hanc hist. utì confictam, & Dominici à Soto. qui in 4. dist. 45. q. 2. art. 2. dicit hanc historiam sibi creditu durissimam esse, non obstante Apologia Alphonsi Ciaconis pro hac historia edita. Rationes autem, quibus moveor sunt 4.*

Prima, *qua quotquot hanc hist. admiserunt, id fecerunt propter Damasceni authoritatem, at librum illum non esse Damasceni, facilè probari potest. Nam in illo libro Author non solùm dicit Trajanum, & orationibûs S. Teclæ Falconillam ab inferno damnatorum ad Regnum Cœlorum transiisse, sed etiam multos alios, qui in infernum descenderant, quia Fide Divina caruerunt à Christo conversos, & salvatos, quando ad inferos descendit, quod per se erroneum est, & contrarium verbis Damasceni l. 2. de fide c. 4. ubi dicit: hominibus id esse mortem, quod Angelis casus.*

Secunda ratio: *Quia nullus Author Latinus historiæ ejus meminit, ùt Paulus Diaconus, Anastasius Bibliothecarius, Marianus Scotus, Ado, ac nè ipse quidem Beda, qui B. Gregorii studiosissimus fuit, immò in ipsa Romana Ecclesia, & ejus Archivis nulla hujus rei memoria exstabat, quando Joannes Diaconus vitam B.*

*Gregorii scripsit, ipse enim vitam B. Greg. ex archivis Romanis diligentissimè collegit, & tamen l. 2. c. 44. hanc historiam de Trajano dicit repertam in Ecclesia quadam Anglorum, nec fidem illi certam habitam à Romanis.*

Tertia ratio: *Quia B. Greg. l. 34. moral. c. 13. al. 16. disertè docet non posse orare pro infidelibus defunctis, quemadmodùm nec pro diabolo, quandoquidem in eadem irrevocabili & æterna damnatione sunt, quomodò ergo credibile est, eum id fecisse. Rñdet Abul. q. 57. in l. 4. Reg. ideo Greg. peccâsse mortaliter orando pro Trajano. Sed absurdissimum est, & ferè blasphemum, cùm constet Greg. Virum fuisse nonmodò Sanctissimum, verùm etiam Prudentissimum. Deinde si peccavit mortaliter, quomodò fuit exauditus, num Deus placatur, quando offenditur? Rñdet Ciaconus non peccâsse Gregorium, sed potiùs meruisse, quia licèt ordinariè non liceat orare pro damnatis, tamen licet ex peculiari instinctu Divino. At contra est. Eadem hist. refert Greg. propter hoc peccatum punitum fuisse perpetuo dolore stomachi & pedum. Rñdet ipse hunc dolorem non datũ Greg. in pœnam, sed nè elatio ipsi subreperet. At contra est. Nam Petrus Diaconus, quem ipse citat ex libro quodã Bibliothecæ Vaticanæ, dicit Gregorio ab Angelo dictum*

*fuisse,*

*fuisse, quòd quia præsumpserat hoc petere, laboret usq; ad mortem dolore &c. Ergo in pœnam peccati, nam præsumptio peccatum est.*

Quarta ratio: *quia argumenta non concludunt. Quia ipse nititur præcipuè his testibus: Primò, testimoniô Petri & Joannis Diaconorum, Gregorii, quod exstare dicit in Bibliotheca Vaticana.* 2dò *Innominati Auctoris, qui scripsit vitam B. Gregorii quæ præponitur operibus ejus impressis Basileæ A. 1566. qui Auctor videtur vixisse tempore B. Gregorii* 3tiò. *Testimonio Damasceni.* 4tò. *Testimonio Joannis Diaconi l. 2. c. 44. vitæ S. Gregorii* 5tò. *Testimonio B. Thomæ.* 6tò. *Testimonio S. Brigittæ.* 7mò. *Testimonio S. Mechtildis.*

Primum *testimonium videtur valdè suspectum, nam si illud esset verè Petri Diaconi, non diceret Joannes Diaconus hanc hist. non exstare in Ecclesia Romana, sed solùm apud Anglos. Deinde ipse Petrus dicit Greg. à DEO petivisse, ut quotquot sepelirentur in Ecclesia S. Andreæ in Clivo Scauri, non possent damnari, dummodò fidem tenerent Christianam, & impetravisse. At certè Greg. Vir prudentissimus nunquam ità orâsset, nam vel intelligit de fide informi, vel de formata. Si de informi, ergo voluisset homines morientes salvari sinè charitate, quod quis credat? Si de formata, non e-*

*rat*

*rat opus id petere, nam ubicunque ſepeliatur, qui moritur cum charitate, damnari non poteſt.* Adde: *quòd totum illud fragmentum redolet novitatem, & proinde ſuppoſitium videtur. Vocat enim Gregorium Divum, quod nomen eô tempore fuit inuſitatum. Itèm anteponit Cardinales Epiſcopis, quod repugnat Joanni Diacono, qui in vita S. Greg. ſcribit ex Cardinalibus conſueviſſe à Gregorio multos ad Epiſcopatum, ùt gradum altiorem promoveri, alia quoque habet non pauca ſigna novitatis.*

2dum *Teſtimonium nihil novi adfert, Auctor enim ille ſinè nomine, non vixit tempore S. Greg. ſed poſteriore tempore, redegit enim in compendium vitam S. Greg. quam ſcripſerat fuſiſſimè Joannes Diaconus.*

3tium *Teſtimonium jam rejectum.*

4tum *eſt contra ipſum Ciaconum. Nam Joannes Diaconus dicit animam Trajani non eſſe liberatam de inferno, ſed ſolùm id obtinuiſſe, ut in inferno exiſtens non pateretur pœnam ignis. Ciaconus autem vult eam in cœlo Beatorum.*

5tum *eſt etiam contra ipſum. Nam B. Thomas ubi ex profeſſo hoc tractat, nimirùm in 4. diſt. 45. q. 2. probabiliſſimum putat animam Trajani liberatam ſolùm*

*à pæ-*

*à pœnis inferni, usque ad diem Judicii, deinceps cruciandum cum cæteris.*

6tum. *est valdè obscurum, nam S. Brigitta non dicit Trajanum esse salvum, sed solùm elevatum ad gradum altiorem, ubi indicat in inferno aliquid salutis recepisse.*

7mum. *est expressè contra ipsum. Nam Mechtildis dicit petivisse à Domino, quid egerit cum animabus Samsonis, Salomonis, Origenis & Trajani, & responsum esse: Deum velle omnibus incognitum, quid sua liberalitas cum illis egerit. Si ergò Deus vult esse incognitum, non est credendum Authoribus, qui asserunt Trajanum esse in cœlo.*

Adde: *quòd DEus in hac revelatione conjungit Trajanum cum Origene. At in Prato Spirituali, quod citatur à VII. Synodo, & à Joanne Diacono l. 2. c. 45. vitæ B. Gregorii narratur alia revelatio, quâ Origenes visus est in gehenna ignis cum Ario & Nestorio. Et V. Synodus c. 11. dicit anathema Origeni, sicut Ario, Nestorio, & cæteris hæreticis. Hæc Bellarminus.*

## PROPOSITIO SECUNDA.

D*Atur locus, præter Regnum Cœlorum, & infernum,*

*ubi detinentur animæ infantium ſinè Baptiſmo decedentium.*

Hanc ſententiam propter authoritatem quorundam tranſeo. Aliam mihi tutiorem, & probabiliorem ſequor, & : Reſpondeo cum *S. Aug. l. 1. de bapt. parvul. c. 28.* Et *l. 5. Hypognoſtici* : Fidem Catholicam non noſſe, nisì duo loca, ubi homines ſint futuri perpetuò, Cœlum Beatorum, & infernum damnatorum. Ergo non datur locus diſtinctus præter Regnum Cœlorum & infernum, ubi detinentur animæ Infantium ſinè Baptiſmo decedentium. Quia ſi daretur, daretur vel in Limbo Patrum, ſive ſinu Abrahæ, ùt autumant adverſarii; aut in Purgatorio, vel in aliquo alio loco imaginario. Non in primo : Nam ibi animæ ante Chriſti adventum exceptæ quieta habitatione fruebantur, beata ſalvationis ſpe ſuſtentatæ, & ideo dicitur ſinus, quia lactabantur ſpe. At animæ Infantium ſinè Baptiſmo decedentium ejuſmodi ſpe penitùs ſunt deſtitutæ. Non in ſecundo : quia hic locus eſt viatorum, & diſpoſitio ad æternam beatitudinem decedentium in gratia, quam excludit peccatum originale, & ſinè qua nemo ad cœleſtem Patriam pertingere poteſt :

quia

quia nihil coinquinatum intrabit in eam. Non in tertio: Quia eum adstruendi nullum assignatur validum fundamentum. Etenim S. Aug. l. 2. c. 12. de anima ad Petrum sic habet: *Novellos hæreticos Pelagianos justissimè Catholicorum Conciliorum, & S. Sedis Apostolicæ damnavit authoritas, eò quòd ausi fuerint, non baptizatis parvulis dari quietis locum, etiam præter Regnum Cœlorum.* Et tract. 67. *Respuendi sunt à Corde Christiano, qui ideo putant dictum, multas esse mansiones, quia præter Regnum Cœlorum erit, ubi maneant innocentes, qui sinè Baptismo ex hac vita emigrârunt, quia sinè illo in Regnum Cœlorum introire non potuerunt: hæc fides non est fides, quia non est vera & Catholica fides.* Tum quia Authores cum Bellarmino *l. 6. c. 6. de Purgat.* distingventes receptacula animarum post hanc vitam Limbum puerorum ponunt in inferno, in loco quidem elevatiori, à loco ignis & tormentorum. Attamen in inferno. *Scimus enim parvulos etiam secundùm ea, quæ per corpus gesserunt recepturos vel bonum, vel malum. Gesserunt autem non per semetipsos, sed per eos, quibus pro se respondentibus, & renuntiare diabolo dicuntur & credere in DEum, unde & in numero Fidelium computantur, pertinentes ad eam sententiam Do-*

mini

*mini dicentis: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Propter quod ex illis, qui Sacramentum hoc non accipiunt, contingit, quod sequitur: Qui autem non crediderit, condemnabitur. Idem S. Aug. Ep. 107.*

Nam illud unum peccatum, quô est obligata propago carnalis, quæ ab illo primo homine originem ducit, sufficere dicit Apostolus ad condemnationem. Quare secundùm D. Aug. de peccat. merit. & remis. l. 1. c. 12. *Rectè dici potest, parvulos sinè baptismo de corpore exeuntes ad damnationem omnem mitissimam futuros. Multùm autem fallit, & fallitur, qui eos in damnationem prædicat non futuros.* Sic disertè difinivit Conc. Florent. *Sess. ultim.* Tam eos, qui moriuntur cum peccato mortali, quàm eos, qui cum solo peccato originali, mox in infernum descendere, pænis tamen disparibûs puniendos. Illos videlicet pro peccato mortali pænâ damni & sensûs culpæ proportionatâ. Hos verò solâ pænâ damni sinè quovis alio ignis, & tormentorum cruciatu. Ità communi scholasticorum consensu recepta est ea sententia, quæ tradit hujusmodi parvulos ab igne minimè cruciari, sed eam tantùm pænam sustinere, quæ vocatur damni, quâ sunt in perpetuum à Cœlesti Patria Beatorum Spirituum exclusi. Sic *Magist. 2. d. 33. Altisiod. in sum. l. 2. tract. 27. c. 6. Alex. p. 2. q. 105. mem. 10. §. 1. Alber. in sum. p. 2. tract. 18. q. 113. S. Thom. 2. d. 33 p. 3. q. 1. Ægid. 2. d. 33. q. 2. a. 1. Ricar. 2. d. 33. a. 3. a. 1. Henric. quodl. 6. q. 21. Scot. 2. d. 33. q. 1. Dur. Argent. Bassolis. Gab. major. 2. d. 33. Marsil. 2. q. 19. a. 5. Bonav. 2. d. 33. q. 2. & alii apud Asor. Instit. Mor. l. 4. c. 33. de pecc. orig. pæna.*